

rum, scilicet justitiae originalis, et gratiae sanctificantis. 2. Quadruplex vulnus in anima, nempe, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetita concupisibili, infirmitas in irascibili.

Quaeres 9. *Quaenam sint poenae peccati originalis in altera vita?*

Resp. De fide certum est parvulos sine Baptismo decedentes non solum excludi a regno coelorum, sed etiam privari vita aeterna, ut Ecclesia definit in variis Conciliis contra Pelagianos, et confirmavit Concil. Trid. sess. 5. can. 4.

Quaeres 10. *Utrum infantes, sine Baptismo mortui, fruuntur beatitudine naturali?*

Resp. Fictitia est illa beatitudo quam infantibus illis assignant Catharinus, et Cardin. Sfrondatus, quia pugnat contra Ecclesiae traditionem: nam Conc. Flor. sess. ult. definit: *Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Atqui animae, quae in inferno poenis puniuntur carent sane beatitudine naturali; ergo, &c.

Quaeres 11. *Utrum parvuli cum solo originali decedentes patiantur poenam ignis?*

Resp. negat. Nam Apoc. 18. dicitur: *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum;* sed in culpa originali nulla fuit delictatio; ergo. Unde Innoc. III. cap. *Majores, de Bapt.* ait: *Poenae originalis peccati, est carentia visionis Dei; actualis vero peccati, est gehennae perpetuae cruciatus.* Ubi prior pars videtur intelligenda de carentia visionis Dei cum exclusione cruciatus gehennae.

Objicies. SS. Patres, August. Fulgentius, Greg. Magnus, affirmant infantes sine Baptismo decedentes ituros in ignem aeternum, juxta sententiam Domini: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Ergo.

Respondent D. Thom. quaest. 5. de malo, art. 2. ad

1. *Dicendum quod nomen tormenti, supplicii, gehennae, et cruciatus, vel si quid simile in dictis SS. Patrum inveniatur, est large accipiendum pro poena, ita ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam poenam deberi.* Ita etiam respondet D. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS.

Nota. **H**ujus Tractatus erunt octo Dissertationes de Sacramentis in genere, et singulis in particulari.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere.

Nota. **S**acramentum hic sumitur pro signo quod nos Deo sacrat, atque sanctificat, cujus inquirimus 1. Essentiam, existentiam, et auctorem. 2. Materiam et formam. 3. Ministrum. 4. Subjectum. 5. Effectus. 6. Caeremonias. Itaque sit.

§. I. De essentia, existentia, et auctore Sacramentorum.

Quaeres 1. *Quid sit Sacramentum generice sumptum?*

Tom. II.

Resp. Definitur, *Signum sensibile, sacrum, a Deo permanentiter institutum, ad significandam et conferendam gratiam.*

Dicitur 1. *Signum* pro genere....2. *Sensibile*, sive per se, ut aqua in Baptismo, sive per aliud ut contritio per externam manifestationem....3. *Sacrum*, id est, ad cultum Dei ordinatum, et ad sanctificationem hominis; cujus defectu, transitus maris rubri, serpens aeneus, manna, non erant Sacramenta....4. *A Deo institutum*, quia solus Deus potest instituere signa gratiae infallibiliter conferendae....5. *Permanentiter*, id est, quando permanet religio. Hinc nec lotio pedum, nec insufflatio Christi in Apostolos fuerunt Sacramenta, cum Ecclesia illas non retinuerit....6. *Ad significandam gratiam*; sive futuram per passionem Christi dandam, sive praesentem, per Sacramenta novae legis actu collatam....7. *Ad conferendam gratiam*, et sanctitatem, sive interiorem, ut Sacramenta novae legis, sive exteriorem et pure legalem, ut Sacramenta veteris legis.

Quaeres 2. *Quomodo definitur Sacramentum veteris legis?*

Resp. Definitur, *signum sensibile, sacrum, a Deo permanentiter institutum, ad significandam gratiam interiorem per passionem Christi dandam, et conferendam exteriorem et legalem.*

Quaeres 3. *Quomodo definitur Sacramentum novae legis?*

Resp. Definitur: *Signum sensibile, sacrum, a Christo permanentiter institutum, ad significandam et producendam per se et ex opere operato gratiam interiorem.*

Quaeres 4. *Utrum extiterint Sacramenta in statu innocentiae?*

Resp. Non extiterunt, cum nec Scriptura, nec traditio aliquorum meminerint. Equidem matrimonium Adami cum Eva dicitur Sacramentum ab Aposto-

Ephes. 5. sed improprie, quatenus significabant futuram unionem Christi cum Ecclesia; non vero proprie, quia non erat signum sacrans homines.

Quaeres 5. *Utrum in statu naturae extiterint Sacramenta?*

Resp. Fuit aliquod Sacramentum, saltem ad peccatum originale delendum, *quamvis quid esset*, ait Div. August. lib. 5. contra Julian. cap. 11. *aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluit*.... Probabilius tamen est, illud remedium fuisse fidem in Christum venturum aliquo signo exteriori manifestatam, *non est enim aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4.

Quaeres 6. *Utrum extiterint Sacramenta in lege Moisaica?*

Resp. Extiterunt, ut patet in variis expiationibus, purificationibus, consecrationibus, quae internam significabant gratiam et externam conferebant.

Quaeres 7. *Quot sint Sacramenta novae legis?*

Resp. Sunt septem, quia sunt septem signa sensibilia a Christo permanentiter instituta ad gratiam significandam et conferendam. Unde Conc. Trident. anathematizat eos qui dixerint *esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, &c.*

Objicies. Septem sunt Ordines, qui totidem sunt Sacramenta; ergo plus quam septem sunt Sacramenta.

Resp. Nego consequens. Nam omnes ordinationis species revocantur ad unum genus, quod dicitur Sacramentum Ordinis.

Quaeres 8. *Quis sit auctor Sacramentorum?*

Resp. Est Christus, ita definiit Conc. Trid. sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.*

Quaeres 9. *An Christus per se et immediate instituerit omnia Sacramenta?*

Resp. affirm. Nam 1. ea solum quis instituere dicitur, quae per se ac immediate instituit: sic Christus non dicitur instituisse sacramentalia, quamvis Ecclesia illa instituerit per potestatem a Deo acceptam. 2. Ecclesia non potest mutare Sacramenta quoad substantiam, ut definivit Conc. Trid. *sess. 21 cap. 2.* ergo ea non instituit quoad substantiam.

§. II. De materia et forma Sacramentorum.

Quaeres 1. *Quid sint materia et forma Sacramentorum?*

Resp. Sunt partes, ex quibus constant Sacramenta.

Quaeres 2. *Quotuplex sit materia Sacramentorum?*

Resp. Duplex, scilicet, remota et proxima.

Quaeres 3. *Quid sit materia remota et proxima, et forma Sacramentorum?*

Resp. Materia remota, est res, vel actus sensibilis, ex se indifferens ad esse Sacramenti. . . materia proxima, est usus, seu applicatio materiae remotae ad subiectum. . . forma, sunt verba, aut quidpiam verbis aequivalens quae materiam indifferentem determinat ad esse Sacramenti: v. gr. in Baptismo aqua, est materia remota: ablutio, est materia proxima, haec verba: *Ego te baptizo, &c.* sunt forma.

Quaeres 4. *An quodlibet Sacramentum novae legis constet rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma?*

Resp. Constat, nam ex Conc. Florent. in decreto unionis, omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministrantis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.

Objicies. Eucharistia non constat verbis; ergo.

Resp. Dist. ant. Eucharistia in facto esse, conc. in fieri, nego. Porro loquimur de confectione Sacramentorum, non de Sacramentis confectis.

Quaeres 5. *Utrum verba Sacramentorum vere sint consecratoria?*

Resp. affirm. Nam per se, et ex opere operato, consecrant et sanctificant susipientem rite dispositum. . . errant ergo novatores docentes verba Sacramentorum esse tantum promissoria, quatenus sunt sigilla pure materialia, quibus obsignatur promissio divina de gratia, quae solum datur per fidem promissionum; et concionatoria, quatenus fidem audientium excitant, non minus tanquam per conciones excitatur. Quaero ab eis utrum verba baptismi dati parvulis excitent eorum fidem ac ipsos erudiant?

Quaeres 6. *Utrum Christus determinaverit materiam et formam omnium Sacramentorum?*

Resp. Determinavit, alias non esset auctor omnium Sacramentorum.

Quaeres 7. *Quotuplici modo potest determinari materia et forma Sacramentorum?*

Resp. Duplici, nempe, 1. *In genere*, dum sub aliqua materia et forma convenienti statuitur confici Sacramentum, nullam speciem assignando, 2. *In specie*, dum ipsamet species assignatur, ut aqua in Baptismo, panis et vinum in Eucharistia.

Quaeres 8. *An Christus omnium Sacramentorum materias et formas determinaverit in specie?*

Resp. Non determinavit, sed eis in genere determinatis, reliquit Ecclesiae potestatem eas in specie determinandi pro locorum et temporum diversitate. Hoc constat ex praxi diversa Graecorum et Latinorum in sacris ordinationibus conferendis: Graeci enim per solum manuum impositionem, Latini vero etiam per exhibitionem instrumentorum ordinem conferunt, ergo, &c.

Objicies. Si Ecclesia potestatem haberet quorumdam Sacramentorum materiam et formam in specie determinandi, eas posset mutare; falsum ex Trid. conseq. ergo.

Resp. Dist. maj. Posset eas mutare secundum suum esse specificum, *conc.* secundum suum esse genericum, *nego.* Eadem quippe potestas sufficit ad mutandam materiam et formam Sacramentorum, quae fuit sufficiens ad eam determinandam. Ergo Ecclesia nec potest mutare genus Sacramentorum, nec speciem eorum quae sunt determinata in specie a Christo; sed potest mutare speciem eorum quorum ipsa speciem determinavit.

Quaeres 9. *Utrum mutatio materiae et formae Sacramentum irrite?*

Resp. Si mutatio sit substantialis, Sacramentum irritat, quia materia vel forma Sacramenti tollitur. Si sit accidentalis, non irritat; peccat tamen qui talem mutationem accidentalem efficit.

Quaeres 10. *Quandonam mutatio est substantialis, aut accidentalis?*

Resp. 1. Mutatio materiae est substantialis, quando materia convertitur in aliam speciem, ut si vinum factum esset acetum: vel quando materia redditur inutilis ad sui usum, ut si quis baptizaret in aqua quidem, sed ita congelata, ut non posset fieri ablutio. 2. Mutatio formae est substantialis, quando verba non retinent eundem sensum: v. gr. *Ego te baptizo in nomine matris, et filii, &c.*

Econtra, mutatio est accidentalis in materia, quando non convertitur in aliam speciem, ut aqua calida in Baptismo, vinum parumper acescens in Eucharistia: in forma vero, quando sensus verborum non tollitur, v. gr. si quis dicat: *Ego abluo te in nomine Patris, &c.*

Quaeres 11. *Quot modis forma Sacramentorum possit mutari?*

Resp. Sex modis, his versiculis contentis:

*Nil formae demas, nil addas, nil variabis;
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.*

Quaeres 12. *Utrum error ministri tollat veritatem Sacramenti?*

Resp. Non tollit, quando in forma non est expressus, quia non tollit sensum naturalem verborum, nec quando in forma expressus, sensum verborum non tollit: bene vero quando tollit sensum verborum, quod tunc solum contingit, cum error facit propositionem distinctam. Hinc valida est haec forma Baptismi a ministro Ariano collati: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, qui non sunt personae aequales*; sed invalida est ista: *Baptizo te in nomine Patris majoris, Filii minoris, et Spiritus Sancti.*

Quaeres 13. *An aliquando in administratione Sacramentorum liceat uti forma conditionali?*

Resp. Licet, dum vera adest necessitas, ut referunt omnia Ritualia, et definivit Alexand. III. extrav. de Baptismo, cap. 2. Porro illa necessitas reperitur tantum: 1. quando dubitatur utrum Sacramentum non iterabile fuerit collatum, vel etiam an valide fuerit collatum; 2. quando dubitatur an subjectum sit capax Sacramenti, ut contingit in homine, subita vi morbi oppresso, qui nullo exteriori signo dolorem de peccatis significare potest.

Quaeres 14. *Utrum liceat uti materia dubia, vel probabili?*

Resp. Licet in Sacramentis necessariis necessitate medii ad salutem, dum urget mortis periculum, nec suppetit materia certa, quia cum Sacramenta sint propter homines, satius est illa periculo nullitatis exponere, quam homines periculo damnationis aeternae.

§. III. De Ministro Sacramentorum.

Quaeres 1. *Quotuplex distingui potest minister Sacramentorum?*

Resp. Duplex, nempe, *primarius*, ejus nomine Sacramenta administrantur, et est Christus ut homo propter unionem hypostaticam cum Verbo divino, de quo dicitur, Joan. 1. *Hic est qui baptizat*. Et minister *secundarius*, qui nomine Christi potest valide conficere Sacramentum.

Quaeres 2. *Quotuplex sit minister secundarius?*

Resp. Duplex, nempe, *ordinarius*, qui secundum legem a Christo praescriptam potest valide conficere Sacramentum; et *extraordinarius*, qui praeter hanc Christi legem ordinariam ad Sacramenta conficienda et dispensanda committi potest.

Quaeres 3. *Quis sit minister ordinarius Sacramentorum?*

Resp. Solus homo viator ratione utens: nam soli homini Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c.*

Quaeres 4. *An quilibet homo viator sit minister Sacramentorum?*

Resp. Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem, et matrimonio propter specialem rationem contractus in quo situm est Sacramentum, illi soli sunt ministri Sacramentorum, qui rite in Ecclesia ad hoc ordinati sunt; ita definiuit Concil. Trid. sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Quaeres 5. *Quaenam ex parte ministri requiruntur ut Sacramenta legitime perficiat?*

Resp. Tria: nempe, intentio, fides, et probitas. Intentio, est *actus deliberatus voluntatis, quo quis aliquid vult facere.*

Quaeres 6. *Utrum necessaria sit intentio ad validam confectionem Sacramenti?*

Resp. Necessariam esse definiuit Concil. Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacra-*

menta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. Hinc jocosa Ecclesiae caeremoniarum repraesentatio, quae intentio *lutherana* dicitur, non sufficit.

Quaeres 7. *Quotuplex distinguitur intentio ex parte objecti ad quod fertur?*

Resp. Duplex, nimirum externa, et interna.

Externa describi potest, ea, qua minister in debitis circumstantiis, ac serio, externum Sacramenti ritum perficit; intus tamen suam retinet intentionem, imo contrariam gerit, dicens: *nolo facere quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.*

Interna est ea, qua minister simul ac sacramentalem ritum exercet, interius et apud se intendit ritum illum celebrare, saltem generatim et confuse; quatenus sanctus, licet non intendat illum celebrare formaliter ut est Sacramentum. Quod non est necessarium, cum Ecclesia recipiat Baptismum a Pagano, Judaeo, vel Haeretico collatum, etiamsi illum esse Sacramentum ignorant, vel negent.

Quaeres 8. *Utrum ad valorem Sacramenti sufficiat intentio externa?*

Resp. Non sufficit, sed requiritur interna. Nam 1. Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. ad validam absolutio-nem requirit ut *adsit Sacerdoti animus serio agendi*, en intentio externa, et *vere absolvendi*, en intentio interna. 2. Conc. Florentinum docet Sacramenta perfici, non solum *rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma*, in quibus consistit intentio externa, sed etiam *persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*; ergo intentio interna requiritur ultra debitam conjunctionem formae cum materia. Praeterea homo non potest se gerere ut minister Christi et Ecclesiae, quin facere intendat quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani.

Objicies 1. Minister qui habet intentionem ponendi

praecise ritum externum, ritum a Christo institutum debite observat; ergo.

Resp. Nego ant. Ritus enim a Christo institutus importat ipsam internam ministri intentionem.

Inst. Forma Sacramentorum independentem ab intentione ministri interna est operativa; nam operatur *ex opere operato*; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam forma suam efficacem significationem non habet, nisi ab intentione ministri determinetur: unde intentio ministri in ipsomet opere operato includitur, tanquam causa perficiens Sacramentum per legitimam materiae et formae applicationem.

Obijcies 2. Sententia Judicis est operativa independentem ab ejus intentione interna; ergo a pari, &c.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod valor sententiae Judicis pensetur ex hominum sensu qui externa solum norunt, quique ut validam acceptant sententiam juxta leges prolatam. At vero Sacramentorum validitas spectat praecipue ad Dei judicium, cui etiam interna subsunt, quique a suis ministris exigunt ut materiam cum forma uniant, quod fit per intentionem.

Quaeres 9. *Quotuplex sit intentio ex parte ministri?*

Resp. Quadruplex distinguitur, actualis nempe, virtualis, habitualis, et interpretativa.

Actualis, est praesens animi applicatio ad id quod agitur. . . . *Virtualis*, est ipsamet actualis quae praecessit, ac moraliter perseverat in ministro, quandiu per contrariam intentionem non fuit revocata. . . . *Habitualis*, est ea quae non fuit revocata, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam. . . . *Interpretativa*, est ea, quae nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati: unde non tam est intentio, quam intentionis praesumptio.

Quaeres 10. *Quaenam intentio requiritur ex parte*

ministri, ut Sacramentum sit validum?

Resp. 1. Intentio *actualis* non requiritur absolute, quia ut plurimum non est in potestate hominis. 2. *Habitualis* non sufficit, quia actum humanum non dirigit. 3. *Interpretativa* quoque non sufficit, quia, cum nec actu nec virtute existat, non applicat agentem ad actionem. 4. *Virtualis* requiritur et sufficit: quia sufficiens est ad ponendum actum humanum. . . . Porro intentio debet dirigi ad rem determinatam, praesentem, et sensibilem, juxta exigentiam formae.

Quaeres 11. *Utrum fides et probitas requirantur in ministro, ut valide conficiat, aut conferat Sacramenta?*

Resp. Non requiruntur: nam 1. Ecclesia semper rata habuit Sacramenta ab impiis et haereticis collata, modo ritum a Domino praescriptum observaverint. Hanc veritatem definiit Conc. Trident. *sess. 7. can. 4.* et 12. *de Bapt. 2.* Minister operatur virtute et auctoritate divina; atqui Deus datam ministro potestatem non aufert ob ejus haeresim aut peccatum; ergo, &c.

Obijcies. Eccli. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* id est, nemo potest mundari.

Resp. Dist. ant. Si immundus propria virtute agat, *conc.* si virtute Christi et Ecclesiae, *nego.* Minister autem agit virtute Christi principalis Sacramentorum ministri, de quo Joann. 1. dicitur: *Hic est qui baptizat.*

Inst. Nemo dat quod non habet; atqui peccator aut haereticus non habet Spiritum Sanctum; ergo.

Resp. Dist. maj. Nemo dat quod nullo modo habet, *conc.* quod aliquo modo habet, *nego.* Haeretici et peccatores non habent quidem Spiritum Sanctum formaliter per gratiam sanctificantem, sed habent ministerialiter, per gratiam gratis datam, et ideo possunt illum per Sacramenta dare.

Quaeres 12. *Utrum peccet qui in statu peccati mortalis conficit aut dispensat Sacramenta?*

Resp. Peccat, et quidem mortaliter, si conficiat aut

dispenset ex officio: Quia, inquit D. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei (cuius sunt ministri) et contaminationem Sacramentorum (quorum violatur sanctitas)... Dixi, ex officio; quia addit D. Thom. in articulo mortis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset Laicus baptizare, sic enim patet quod non exhiberet se ut ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti.

Quaeres 13. Utrum liceat petere Sacramenta ab improbo ministro?

Resp. 1. Nunquam licet absque necessitate, quia Lex charitatis postulat, ut non detur malo Sacerdoti occasio peccandi.

Resp. 2. Si petens sit in extrema necessitate salutis, licite potest petere Sacramentum Baptismi ab excommunicato etiam non tolerato, ut asserit D. Aug. lib. de Bapt. cap. 2 non vero alia Sacramenta, quia Ecclesia in solo casu extremae necessitatis permittit in spiritibus communicare cum non toleratis, Bulla, Ad evitanda.

Resp. 3. In gravi necessitate (v. gr. dum urget praeceptum confessionis annuae), licitum est petere Sacramenta a malo ministro tolerato, si absit alius Sacerdos, quia ex illa necessitate id licet ab alio petere, quod potest licite praestare, quamvis praevideatur peccaturus; atqui malus Sacerdos potest licite conferre Sacramenta, se nempe ad id disponendo, vel per confessionem, vel per contritionem; ergo.

Resp. Si petens sit in levi tantum necessitate (v. gr. ad Eucharistiam festis solemnioribus frequentandam), licet ipsi petere Sacramenta a proprio Pastore malo tolerato, quia utitur jure suo, et petit rem bonam, quam Parochus potest et tenetur bene facere. Econtra non potest petere ab eo qui non tenetur ex officio Sacramenta ministrare, quia eum induceret ad peccandum; nisi tamen ille malus minister sit determinatus Sacra-

menta ministrare quae re ipsa ministrat, quia tunc petens non censetur eum inducere ad peccandum, sed solum uti ejus mala voluntate ad peccandum jam determinata.

Quaeres 14. Utrum liceat Sacramenta administrare peccatoribus?

Resp. 1. Si sit peccator notorius, nullo modo licitum est ipsi ministrare Sacramentum, sive illud petat publice, sive privatim. Nam 1. graviter prohibetur dare sanctum canibus, Matth. 7. et cooperari peccato alieno. 2. Minister tenetur fideliter dispensare dona Dei, 1. Corinth. 4.... hic tamen nota in Gallia notorieta-tem facti non sufficere (saltem in foro externo) ut quis peccator publicus habeatur, sed requiri notorieta-tem juris.

Resp. 2. Si sit peccator occultus, vel publice petit Sacramentum, vel occulte.... Si publice petat, debet ipsi ministrari, si repelli non posset absque illius infamia et populi scandalo, ut constat ex praxi Ecclesiae, et exemplo Christi, qui nec Judam a communione removit, ait Eugenius Papa, cap. de offic. iudicis ordinarii.... Si occulte petat, non debet ipsi administrari, cum possit absque scandalo populi et poenitentis infamia denegari. Ita docet Rituale Rom.

§. IV. De subjecto Sacramentorum.

Quaeres 1. Quanam requirantur dispositiones in adultis ut Sacramentum valide recipiatur?

Resp. Requiritur et sufficit intentio recipiendi Sacramentum, excepto Sacramento Poenitentiae.... requiritur quidem, ex cap. majores de Baptismo, ubi Innoc. III. ait: Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti; ergo concludit D. Thom. 3. p. q. 68. art. 7. Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, es-

set rebaptizandus... sufficit autem, quia Sacramenta valide administrantur haereticis, cum Ecclesia deīniet eos non esse denuo baptizandos, vel ordinandos, quando redeunt ad Ecclesiam catholicam; atqui in illis non alia fuit dispositio, quam voluntas recipiendi Sacramentum; ergo.

Dixi: *Excepta poenitentia*, quia actus poenitentis sunt illius materia essentialis; ergo sine illis, et aliis quae non praecedere debent, nullum est Sacramentum Poenitentiae.

Objicies. Nonnulli inviti ordinati sunt, quorum tamen ordinatio rata habita est; ergo.

Resp. Dist. ant. Ordinati sunt inviti *secundum quid*, id est, cum aliqua repugnantia propter metum et reverentiam, *conc.* ordinati sunt *simpliciter* inviti, *nego*. Qui enim sic reluctantes erant, subinde, ut votis Ecclesiae, et superiorum voluntati, se faciles praebent, consentiebant se ordinari.

Quaeres 2. *Qualis intentio requiratur in subjecto ad Sacramentum valide recipiendum?*

Resp. Non requiritur actualis, aut virtualis, nisi in *Matrimonio*, nam Concilia et Rituale Rom. praecipunt, ut baptizetur moribundus ratione et sensibus destitutus, modo constet de praeterita ejus voluntate; atqui tali moribundo non inest nisi habitualis intentio; ergo sufficit intentio *habitualis*; imo quandoque sufficit *interpretativa*, ut constat ex constanti praxi Ecclesiae, quae fidelibus repentino morbo correptis, quo usum linguae et rationis amiserunt, administrat Sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis, etiamsi illa ante non expectierint, in quibus est solum intentio interpretativa; ergo.

Quaeres 3. *Quaenam dispositiones requirantur ad recipienda cum fructu Sacramenta?*

Resp. 1. Ad Sacramenta mortuorum, requiruntur ex *Conc. Trid.* quinque actus, nempe, fides, timor, spes, amor Dei initialis, odium et detestatio peccati.

Resp. 2. Ad recipienda Sacramenta vivorum, requiritur, praeter illos actus, gratia sanctificans, quia eam supponunt in subjecto, cum sint instituta ad eam augendam.

§. V. *De Effectibus Sacramentorum.*

Quaeres 1. *Quotuplex sit effectus Sacramentorum?*

Resp. Duplex, nempe, *gratia*, quae ab omnibus producit, et *character*, qui a Baptismo, Confirmatione, et Ordine tantum producit.

Quaeres 2. *Qualem gratiam conferunt Sacramenta?*

Resp. Duplicem, nempe, gratiam *communem* omnibus Sacramentis, et gratiam *specialem* unicuique Sacramento, quae ideo *sacramentalis* dicitur.

Quaeres 3. *Quid sit gratia illa communis?*

Resp. Est gratia sanctificans, vel *prima*, quam conferunt Sacramenta mortuorum, utpote instituta ad mortuos justificandos; vel *secunda*, quam conferunt Sacramenta vivorum, utpote instituta ad augmentum gratiae.

Quaeres 4. *Quid sit gratia sacramentalis?*

Resp. Definiri potest: *Gratia habitualis, annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujusque Sacramenti.*

Ergo gratia sacramentalis non statim a suscepto Sacramento, et simul confertur, sed tantum successive, et opportuno tempore, eum, nempe, occurrunt occasiones finem Sacramenti suscepti spectantes, licet statim cum Sacramento recepto acquiratur jus ad illas gratias suo tempore et loco accipiendas.

Ergo amissa gratia sanctificante, amittitur gratia sacramentalis, quia amisso juris fundamento, jus ipsum amittitur, recuperatur autem cum gratia sanctificante, per poenitentiam.

Quaeres 5. *Utrum Sacramenta conferant semper aequalem gratiam?*

Resp. Inaequalem conferunt gratiam iis qui sunt